

Beilage I.

Testament Heinrichs I. von Liechtenstein vom Pfingsttage 1265.

Originalurkunde im Liechtensteinischen Archiv. G. 1.

Universis praesentem paginam inspecturis Hainricus de Liechtenstein in perpetuum. Cum ea que geruntur in tempore, labantur cum tempore, congruum est, ut gesta hominum scripturae officio perenni memorie commendentur. Hinc est quod ego Hainricus de Liechtenstein notum fieri cupio universis tam viventibus quam victuris, ad quos pervenit praesens scriptum: quod accedente consensu et voluntate filiorum meorum ac filiarum nec non generorum meorum singulorum et omnium tam eorum, quos per dominam Diemudim uxorem meam priorem, quam etiam eorum, quos per dominam Mehthildim uxorem meam secundam generavi, de dividenda hereditate inter eos subscriptam feci ordinationem, quam etiam ipsorum attestationibus et permissionibus sic firmavi, ut si quis eorum praedictam ordinationem convincatur velle infringere post mortem meam velante, a sua debeat cadere hereditaria portione, que extunc inter reliquos dividatur. Ordinationis igitur forma hec est: Primum possessionum mearum, quas in rebus immobilibus tunc in Austria habui, quum Fridericus filius meus senior contraxit matrimonium cum filia domini Chunradi de Himperch, summa divisa in duas partes equales, unam partem accipiat Fridericus filius